NOS PRÆSES & FACULTAS MEDICA ANTIQUISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ CÆS: AC CÆS: REG: UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS

Cum obstetricandi munus grave sit, et Reipublicae ingens accedat emolumentum, si a probis et peritis viris illud tractetur: qui et in difficilioribus casibus obstetrices prudenti consilio juvare, et ipsi manum operi admovere possent, ut illud necessitas postulat: Hinc aequum erat, ut nemini in hac provincia munus hoc traderetur, nisi prius severo Examine dedisset scientiae suae specimina. Cum ergo Dominus Aloysius Raphael Oesterreicher Cracoviae in Gallicia natus viginti annorum Religionis Catholicae approbatus Magister Chirurgiae, bonis moribus ornatus in examine die decima septima Augusti Anno Millesimo Octingentesimo Quinto Nobis talem se praestiterit qualem esse decet Obstetriciae Artis Magistrum, ipsi publicum hoc testimonium dedimus libenter, quo constare posset omnibus, quorum interest, illum ad hoc munus gerendum esse aptissimum. Cracoviae die vigesima nona Octobris Anno Millesimo Octingentesimo Quinto.

Dr. Rust
Chirurgiae sublimioris tam theoreticae quam practicae Professor Cæs. ac Cæs. Reg. Inclytae Facultatis medicae p. t. Director et Decanus.

Sebastianus Girtler Phil: & Med: Dr.
Cæs: ac Cæs: Reg: Universitatis Crac: Socius.
Inclytae Facultatis Med: Notarius

1805.